

duftriam tuã ad has artes propagandas & illustrandas confers, Nam
 & iftic docendo multorum excitasti ingenia, & subinde monumenta
 ædis, apta ſcholis, & magnopere utilia diſcentibus. Nec uero quidquã
 eſt, ut ego arbitror, homine philoſopho dignius, quã ſumma ope cu
 rare, ut doctrina utilis uitæ, tanquam publicum patrimonium, ut Sene
 ca uocat, conſeruetur, & ad poſteros explicata, & non acciſa aut cor
 rupta perueniat. Debet enim Philoſophus ad optimarum artium ſci
 entiam uoluntatem adiungere bene merendi de rebus humanis, præ
 fertim cum intelligat has artes diuinitus oſtenſas eſſe non priuatae ob
 lectationis cauſa, ſed ad communem utilitatem, & norit philoſophum
 omnes actiones, & uitam omnem ad communem ſalutem atq; utilita
 tem referre debere. Maximè enim, dicit Philoſophum eſſe *κοινωνικὸν ὄν*
 Quanta autem ſint merita quæ ad uitam confert, non difficile eſt iudi
 care. Videmus enim ipſas diſciplinas, quæ Mathemata uocantur, ad
 uitam neceſſarias eſſe. An carere poſſumus Arithemetica & Geome
 tria? Qualis confuſio eſſet, ſi anni deſcriptione carerent Reſpublicæ?
 Nulla extaret memoria rerum ueterum, deniq; mera barbaries eſſet ta
 lis uita. Reliqua philoſophia fontes continet legum & omnium hone
 ſtorum officiorum. Eſt & magnum ornamentum religionis. Facis igit
 tur honeſtiſſime, quod alijs doctrinam tantarum rerum, tamq; utilem
 uitæ ſedulo impertis, quòd ædificatione utilium ſcriptorum cõmunia ſtu
 dia iuuas. Non nihil autem debebit tibi ciuitas Noriberga, quòd ex
 tuis monumentis apparet, huius philoſophiæ ſtudia ibi uigere. Sed
 multo plus debebunt tibi omnes, quorum ſtudia tuis laboribus & com
 mouentur & adiuuantur. Eſt animi philoſophici, delectari ipſa uirtute,
 etiam ſi non contingant alia præmia pro laboribus. Sed ſi tempora
 erunt tranquilla, Deo uolente, uoluptatem etiam magnam ex diſcen
 tium ſtudijs capies. Nam inſtructa idoneis libris iuuentus facilius ad
 hæc ſtudia reuocari poterit. Vides autem aliquot locis, profefſores bo
 narum artium, quantum contendere poſſunt, ad colendas has diſcipli
 nas iuuentutem inuitare. Quod igitur hoc tempore ædidisti & expolijs
 ſti tua diligentia atq; induſtria Tabulas reſolutas, egregiam operam
 nauaſti. Quia in ſcholis præcipue opus eſt his Tabulis, cum theoricas,
 ut uocant, motuum cœleſtium ad uſum transferant, & monſtrent fa
 cilem & compendiarium rationem computandi motus cœleſtes. Qua
 re ſine eis theoricæ prorfus luce carent. Et cognitio his tabulis iam ma
 gnum fructum capere diſcentes ex hoc ſtudio poſſunt. Nam quod ex
 tremum eſt in arte, ac finis doctrinæ de motibus, id compendiarium uia
 exhibet hic libellus, uidelicet ut poſſimus motus planetarum ſtatim
 computare aliquot ſeculorum, ſeu præteritos ſeu uenturos. Hæc meta
 eſt artis, quam auidiſſime expetunt ſtudioſi. Interdum deſperatione
 abijciunt aliqui ſtudia, cum non proſpiciunt metam, cum non capiunt
 fructum